

ut graviter peccent parentes qui liberis certum quendam statum obtrudant, eosve a statu religioso, clericali vel conjugali amplectendo, sine justa causa impidant. Attamen parentes qui in gravi necessitate versarentur, exigere possent ut liberi sibi assisterent donec necessitas cessaret. (n. 346, II)

3º Ut liberi graviter delinquent, transgrediendo aliquod praeceptum parentum suorum, necesse est ut datum fuerit *expressum et serium* praeceptum et quidem *in materia gravi*. (S. Alph. n. 335)

Igitur a gravi culpa excusantur quotiescumque parentes verbis mere suadentibus utuntur. Quaenam materia censenda sit gravis, prudenti iudicio est definiendum: generatim ea erit, qua omissa, grave detrimentum patientur parentes, domesticus ordo, bonum temporale vel spirituale ipsius filii, ut vitare prava consortia, ludos aleatorios, domos suspectas, etc. Non putaverim tamen graviter peccatum filium qui omittet aliquotiens extra tempus Paschale ad sacramenta accedere, si parentes hoc jussent, rati id esse necessarium ad eum in officio continendum, quod opinatur Lehmkuhl (l. n. 792): nam de tali necessitate judicare ad confessarium pertinet.

Insuper, quando agitur de praecepto quod se ad plures actus successivos extendit, puta ne tardius domum redeat, grave peccatum non erit quando aliquotiens id violatur, sed tantum quando *ordinarie* id fiet. (Ball. P. n. 18)

4º Peccatum illud grave inobedientiae non est speciatim in confessione accusandum, si materia praecepti jam aliunde sub gravi erat imperata vel prohibita lege naturali vel positiva: nam parentes generatim id sub eodem motivo praecipiunt, puta Missae interesse ex virtute religionis; peccata autem non multiplicantur ob plures leges ex eodem motivo latas. (n. 163; Ball. P. n. 19)

Excipe tamen, si (quod rarum est) peccatum inobedientiae *formalis* committeretur, nempe si filius praeceptum parentum violaret ea praeceps intentione ut illud violaret. Hic enim est verus contemptus: qui si cadit in ipsam potestatem tamquam nullius momenti, vel in ipsum praecipientem, ita ut filius absolute illi parere nolit, peccatum grave erit et diversae speciei a reliquis. Cfr. n. 108. Attamen, si contemnitur tantum persona ob defectum prudentiae, probitatis, etc., et ex hoc contemptu violatur aliquod ejus praeceptum in re levi, non recusata oboedientia in rebus majoribus, peccatum videtur leve. (Lessius, de Just. et J. c. 46. n. 45) (1)

5º Filius minor nec emancipatus a domo paterna discedere nequit

(1) Haec doctrina de malitia inobedientiae applicari potest transgressioni praeceptorum cuiuscumque Superioris.

sine patris sui licentia. Ita jubet lex civilis (C. C. a. 374) quae, cum jus naturale determinet, in conscientia servanda est, excepto casu vocationis ad statum clericalem vel religiosum. Hinc, saltem ubi vigent similia jura, nequit filius familias e domo paterna proficisci ad artem aliquam addiscendam vel quodvis honestum vitae genus amplectendum: quod per se licitum reputant multi Theol. (Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 13)

Militiae nomen dare nequit filius minor, in Belgio, sine consensu patris vel matris viduae, vel tutoris si utroque parente orbatus est. (Legis 3 Jun. 1870. a. 100) Sic correctus est a. 374 C. C. Napoleonici quo id, completis 18 annis, permittebatur.

6º Liberi qui in studiis neglegentes sunt, dupli de causa graviter peccare possunt: ob damnum quod parentibus inferant, ob praeceptum parentum quod transgrediantur. Secluso igitur stricto praecepto, filius parentum divitum, notabiliter studia neglegens, non peccabit graviter. Facilius grave erit peccatum, si parentes mediocris tantum condicionis sunt: saepe tamen, ob aetatis inconsiderationem, leve erit; neque, ubi fructus sperari nequit, illius *gravitas* studentibus inculcanda videtur. (Ball. P. n. 88)

CAPUT II.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA LIBEROS.

349. I. Parentes ex virtute *pietatis*, tenentur ad amandos liberos et ad eos tum quoad corpus, tum quoad animam educandos: quae obligatio, ex ipso jure naturae oriunda, ex genere suo gravis est.

Deficientibus parentibus, ascendentibus, ut avus, avia, eadem obligatione tenentur; avus paternus ante maternum, quia, ex ordine generationis, succedit patri. Saepe parentum defectum supplet lex civilis, dato tutore vel curatore.

Extenditur haec obligatio ad filios etiam illegitimos vel spurios: nam par est fundamentum in naturali generatione. His ergo debentur alimenta, saltem secundum condicionem parentis qui vel quae inferiorem statum obtinet. (Decr. l. 4. t. 7. c. 5)

II. Officio amoris graviter desunt parentes qui:

1º Odio habent vel tam aspere tractant liberos ut hi merito inde grave odium in corde parentum foveri autument; item si iis gravia mala ex animo, non autem (ut plerumque fit) ex inconsiderato impetu irae precantur.

2º Liberis grave malum inferunt, ex. gr. per mutilationem, diffamacionem, etc. In his, praeter peccatum injustitiae, speciale peccatum contra pietatem committitur.

3º Uni ex liberis, pree alio notabiliter farent sine justa causa : hic enim solet esse fons dissidiorum et malorum gravissimorum.

350. III. Ad infantiae tempus haec parentum officia et peccata spectant :

1º Ante nativitatem tenentur abstinere ab iis quae infantem conceptionem periculo abortus exponant : de quibus dicetur n. 378. Similiter cavere debent ne natum parvulum suffocent, dum eum, absque debitum cautelis, secum in lecto collocant.

2º Graviter peccant qui sine justa causa infantem deserunt : nam abjiciunt officium sibi lege naturae impositum. Huic peccato aliud grave contra justitiam accederet si illum exponerent cum gravi periculo vitae corporalis, ut in loco deserto, vel spiritualis, ut si praeviderent eum acatholice educatum iri, etc. Ubi vero justa causa est exponendi, ex. gr. grave periculum vitae vel famae amittendae, gravis necessitas, ut si lac desit matri, nec pater habeat quo conducat nutricem, probabilius a culpa excusantur. (Ball. P. n. 26)

Quando infans expositus alitur in brephotrophio ad hunc pium finem instituto, probabilius parentes ad expensas compensandas non tenentur, etiamsi divites sint : nam tales domus videntur institutae et dotatae ad alendos non tantum pauperum, sed et divitum infantes illegitimos, cum etiam isti, sine tali subsidio, saepe magno periculo mortis aeternae vel temporalis objicerentur. (S. Alph. n. 656) Idem dicendum in nostra regione ubi infans a privatis civibus alitur : siquidem hi libere hoc onus assumunt. Si vero (ut crebro fit) a communitate civili alitur e bonis quae aliis pauperum necessitatibus destinantur vel e tributis, compensatio probabilius facienda est a parentibus divitibus. (Marres, de Just. l. 2. n. 310 seqq.)

3º Venialiter peccant malres quae sine justa causa, ex. gr. debilitatis, lactis minus idonei, etc., infantem suum propriis uberibus lactare neglegunt : ita censemur communiter Theol. (Struggl, tr. 7. q. 2. n. 10) Regulariter enim nullo lacte melius quam materno infans quisque aletur ; insuper mater, dum hoc officium absque justa causa recusat, perturbat ordinem ab ipsa natura statutum, et propriam sanitatem variis periculis objicit. Adde gravia mala quae moribus publicis oriuntur e consuetudine passim absque justa causa adhibendi nutrices, quarum multae propriam sobolem neglegunt, iterum fornicantur ut in munere suo manere possint, etc. (Capellm. Med. Past. p. 45 seqq.) Non censemus tamen gravem culpam committi a matribus quae sine justa causa infantes nutrici

idoneae tradant : influxus enim *singularum* matrum in haec publica detrimenta nimis tenuis est ut propterea gravis culpe damnentur.

4º Mater quae infantem nutrici alendum tradit, sub gravi tenetur curare ut haec mulier iis qualitatibus physicis gaudeat quae quodlibet grave nocumentum ab infante removeant : indubium enim est pluribus morbis nutricis, speciatim syphilide, infici posse infantem. Quidam, ut Dr. Capellmann (l. c. p. 48), eamdem obligationem extendunt ad morales nutricis qualitates, rati ejusdem vitiis lactatum infici posse : quod tamen alii peritissimi medici, ut Dr. Hubert (Accouchements, etc. t. I. p. 552) probabilius negant, eo quod cibus, puta caro animalium quibus vescimur, nullum directum influxum in mores habere solet.

351. IV. Ad curam temporalem adulescentium liberorum pertinent praesertim sequentia :

1º Parentes liberos alere debent, donec liberi sibimetipsis providere possint.

2º Curare debent ut addiscant artem vel litteras, ita ut postea honeste juxta condicionem suam vivere possint ; negligenter tamen hujus officii *per se* gravis non esset, si liberi jam aliunde haberent unde viverent. (S. Alph. n. 336 ; Lehmk. I. n. 785) Hinc, cum scientia saltem elementaris in regionibus nostris requiri soleat fere in omnibus hominum condicionibus ne quis, cum dedecore variisque incommodis, inferiorem sodalibus suis locum occupare cogatur, censemus parentes quoslibet teneri ad eam scientiam liberis suis procurandam, nisi morali impossibilitate excusentur. Altiorum vero iisdem procurare non tenentur, nisi haec communiter habeatur in ea condizione sociali quae liberis obtinget. Quin etiam cavere debent inferioris condicionis parentes, ne liberos ingenio mediocrem iis studiis applicent quorum exitus is esse soleat ut, humilioris laboris artisve pertaes, frustra ad altiorum statum aspirent et sibimetipsis, familiae et Statui oneri fiant.

3º Peccant per se graviter parentes qui "non adhibent diligentiam saltem mediocrem ut acquirant bona quibus filii alantur habeantque hereditatem secundum statum suum", vel qui "bona dilapidando, impotentes se reddunt ad liberos honeste secundum statum suum educandos." (Bus. ap. S. Alph. n. 336)

4º Peccant parentes qui, sine legitima causa, dotem denegant liberis qui statum honestum amplecti volunt. Attamen, ubi isti matrimonium ineunt quod *merito* displiceat parentibus, hi tantum tenentur ad iis danda necessaria alimenta, quatenus haec aliunde sibi procurare nequeant ; idem dicendum de liberis qui portionem sibi datam dissipaverint. (Ball. P. n. 31 seqq.)

V. Ad educationem spiritualem spectant praecipue sequentia (S. Alph. n. 339) :

1º Curare ut liberi bonis moribus imbuantur, doctrinam christianam addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiae obseruent, sacramenta frequentent, a peccatis abstineant. Ideo gravem reatum incurruunt parentes qui liberos committunt famulis de quorum moribus nihil compertum babent, unice de exteriore specie vel peritia solliciti.

2º Occasiones peccandi ab iis avertere. Quare graviter peccant qui liberos dueunt ad spectacula bonis moribus adversa, qui eos sinunt libros pravos legere, etc.

3º Bonum exemplum liberis praebere: Hinc graviter peccant contra pietatem parentes qui iis scandalum, etiam indirectum, in re gravi praebent, puta coram iis blasphemando, sermones turpes vel impios missendo, etc.

4º Corrigere delinquentes : qua in re ab utroque extremo cavendum est ne impunitate vitia crescant (Prov. XIII, 24), vel nimia severitate animi exacerbentur. (Eph. VI, 4)

352. VI. Inter praecipua parentum officia reponendum est ne liberos suos mittant ad scholas quae principiis catholicae religionis de educanda juventute minime conformes sint. Tales sunt non tantum eae quae spiritu aperte impio vel sectae heterodoxae placitis diriguntur, sed et illae quae praebent educationem ab omni positiva religione praescindentem, ac propterea dici solent *neutrae* vel etiam, quia pueros ad quamlibet sectam pertinentes admittunt, *mixtae*. Scholas autem hic intellegimus in triplici gradu qui hodie distingui solet : elementares, medias, supremas. Etenim in singulis illis scholarum speciebus maxima pericula fidei moribusve puerorum vel adolescentium imminere possunt. Ecclesia autem numquam destitit urgere ut sua jura etiam in Universitatibus sarta tectaque sint. Cfr. Epist. Encycl. Leonis XIII 1 Aug. 1897 : De memoria saeculari B. Petri Canisii.

Jamvero de hujusmodi scholarum frequentatione haec praecipua doctrinae capita statuenda censemus :

1º Numquam, neque ad gravissima damna vitanda, licet parentibus liberos mittere ad scholas in quibus periculum pro fide vel moribus est *ita proximum ut nullis cautelis remotum fieri possit*, "velut quotiens ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholieae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, neque peragi. „ (Instr. S. Off. 24 Nov. 1875; Coll. P. F. n. 481) Id contingeret si pueri in iis scholis juberentur preces haereticales recitare, ritibus prohibitis interesse, pravam doctrinam audire a qua, spectatis eorum aetate, indole et institutione, cavere moraliter nequirent,

vel si tam pravi essent alumni ut vix ullus posset se a mali contagio servare immunem. Quandonam de facto haec hypothesis verificetur nonnisi diligenter singulorum casuum consideratione determinari poterit. Plerumque non sufficiet scholae ipsius pericula intueri, sed praeterea considerandum erit quatenus puer vel adolescentis his periculis magis minusve obnoxius videatur, et quae media adhiberi possint ad eumdem servandum immunem. Si reapse periculum est necessario proximum, patet neque ipsos liberos, rei conscos, posse, etiam cogentibus parentibus, ad tales scholas pergere.

2º Etiam si abest periculum proximum, *per se* tamen graviter illicitum est prolem suam educandam tradere praefatis scholis. Nam etiam sistema educationis *neutrae*, quamvis apertam verae religionis impugnationem vitet, *ex ipsa natura sua* fovet indifferentismum. Ut enim praecclare scribit Leo XIII (Litt. Encycl. ad Episc. Galliae, 8 Febr. 1884), artes quibus pueri ad humanitatem informantur, a religiosa institutione sejungere "idem est ac reipsa velle ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur : quae disciplina fallax est et praesertim in primis puerorum aetatibus perniciosissima, quod revera via atheismi munit, religionis obsaepit. „

3º Interdum tamen contingit ut id licitum fiat, nempe *sub duplice condicione* :

a) Ut adsit *sufficiens causa*. Juxtr. cit. Instr. 24 Nov. 1875, "ea plerumque aderit quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter condicione suae congruenterque adolescentibus. „ Potest quoque ratio esse notabilem damnum quod parentibus immineat, si liberos ad hujusmodi scholas mittere recusent.

b) Ut parentes satagant *pericula removere* opportunis cautionibus et remedii, qualia sunt invigilare per se, vel per alios, libris qui adhibentur et doctrinis quae traduntur, curare ut pueri, extra scholam, bene in doctrina christiana instituantur, eos removere a consortio discipulorum a quibus fidei vel morum periculum imminere possit. Si de frequentandis universitatibus heterodoxis agitur, parentes cavere debent ne filios suos ad easdem mittant, nisi antea solida catholica educatione atque accurata suae religionis notitia excutios; ipsi vero catholici juvenes tenentur consiliis petitis a viris doctis, lectionibus institutis similibusve mediis pericula imminentia a se removere. Ita ipsa S. Sedes, dum declaravit jam tolerari posse, quod antea penitus prohibitum fuerat, ut juvenes catholici Universitates Oxoniensem et Cantabrigensem, deficiente in Anglia catholica universitate, adirent (S. Inqu. 26 Mart. 1895), simul determinavit quae cautions ad removenda pericula inde oritura adhibenda essent : quarum prima erat ut regulares lectionum

cursus super philosophicis, historicis ac religiosis disciplinis a catholicis professoribus tradantur ea amplitudine ac soliditate ut, contra adversos errores, adolescentium mentes efficaciter praemuniantur, quibus electionibus adolescentes teneantur omnino assidui adesse. Cfr. epist. Em. Praef. S. C. de Prop. Fide ad Em. Archiep. Westmonast. 17 Apr. 1895. (1)

Sacerdotes in scholis mixtis tradere doctrinam christianam aut capellani munere fungi, et catholicos viros in iisdem alias disciplinas tradere, non permittit tantum S. Sedes, sed plurimum commendat, simul tamen docet monendum esse populum id fieri ut mala quae ex hujusmodi scholis diminant, quantum fieri potest, avertantur, idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur. (Instr. S. Off. 26 Mart. 1866; Coll. P. F. n. 477)

4º Absolutione indigni sunt parentes qui "necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertiri neglegunt, aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt scholis publicis (neutris), sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat." (Instr. 24 Nov. 1875)

Quodsi adest quidem aliqua difficultas in mittendis liberis ad scholam catholicam, sed non plane sufficiens, cautiones autem adhibentur ad periculum removendum, quandoque manebit gravis culpa in parentibus qui eos ad scholas acatholicas vel neutras mittent, quandoque minor culpa censeri potest. Hoc definiendum est e variis circumstantiis, nempe e quantitate periculi, e scandalo et cooperatione plus minusve efficaci ad pravas scholas promovendas bonasque impediendas, etc. (Lehmk. I. n. 787) Quandoque, etiam ubi agendi ratio parentum objective a gravi peccato excusari nequit, abstinentum erit a denuntianda gravi obligatione liberos a scholis neutris retrahendi, eo quod praevideatur monitionem nihil profuturam esse; semper tamen exigendum erit ut, vigilantia sua et cura educationis religiosae per se vel parochum dandae, parentes periculum fidei vel morum remotum faciant.

N. B. Ex iis quae de officiis parentum et liberorum dicta sunt, facile deducuntur mutuae obligations:

(1) Judicium utrum periculum in aliqua schola sit necessario proximum neene, utrum adsit in casu causa sufficiens neene, solet reservari Ordinario loci. Ita factum in Stat. Foed. Amer. Disciplinam in iis regionibus vigentem de scholis exponit Conc. Baltim. III (nn. 194-199), cuius decreta denuo confirmavit Leo XIII litteris d. d. 31 Maii 1893 ad Em. Gibbons.

1º *Ceterorum consanguineorum.* His enim si aliquam preeminentiam habent, puta avo, aviae, avunculo, etc. exhibendus est amor, reverentia et quatenus locum parentum tenent vel ab iis auctoritatem acceperunt, etiam oboedientia. Reliquis autem, qui ob naturale vinculum aequales sunt vel inferiores, debetur tantum amor et, si indigent, subsidium. Immo fratribus et sororibus, in gravi necessitate versantibus, sub gravi succurrentum est. (S. Alph. n. 340)

2º *Tutorum et pupillorum.* Nam cum tutor loco patris sufficiatur, eadem fere utrimque nascuntur obligationes, non tamen cum eodem rigore ac si de patre et filiis ageretur. Obligationes autem quae ad justitiam pertinent patebunt ex tr. de Justitia et Jure, collatis legibus singularum regionum.

3º *Magistrorum et discipulorum.* Magistros enim (saltem ubi non vigeat injusta coactio) parentes sibi substituunt in officio educandi liberos. Quare, quamdiu durat eorum officium, liberi iis reverentiam, amorem et, in rebus quae ad eos juxta contractum moresque receptos pertinent, oboedientiam praestare debent, fere sicut parentibus. Si qui adolescentes, jam sui juris facti, ingrediuntur domos vel collegia in quibus auctoritate Superioris reguntur, is etiam jus ipsis praecipiendi acquirit, propter cessionem suae libertatis quam faciunt in iis omnibus quae explicite vel implicite in hujusmodi domorum vel collegiorum statutis continentur. Haec tamen statuta regulariter sunt mere poenalia: nam, nisi contrarium declaretur ab iis qui vera auctoritate praediti sunt, praesumendum est nullam ampliorem obligationem iisdem induci quam quae recto ordine exigatur, ne sine necessitate multiplicentur peccandi occasionses. Non repugnat tamen quaedam ex iis statutis obligare ad culpam, sive ex auctoritatis ecclesiasticae vel civilis, a qua domus pendeat, ordinatione, sive ex ipsis Superioris immediati voluntate, cum nihil impedit quominus stabile praceptum edat sicut obiter jubere potest. Cfr. Less. I. 2. c. 46. n. 24 seqq. Juvat etiam notasse eos qui Superiori auxilium praebent, puta tamquam invigilatores in collegiis, per se non habere veram praecipiendi potestatem. Quare inobedientia contra eos longe facilius a gravi peccato excusabitur; contemptus autem eorum, cum nequeat cadere in auctoritatem qua destituuntur, personam afficit, ac proinde gravis evadit tantum quando attingit grave judicium temerarium, detractionem vel contumeliam. (Lehmk. I. n. 830)